

MISSÆ PROPRIÆ  
PRO  
ARCHIDIŒCESIS  
WESTMONASTERIENSIS

Typis Societatis Sanctæ Bedæ, Londinium MMXXIII

# KALENDARIUM

## FEBRUARII

3

S. LAURENTII EP. ET CONF. **III classis**

25 vel 26

S. ÆTHELBERTI REGIS, CONF. **III classis**

## MARTII

1

S. DAVID EP. ET CONF. **III classis**

12

S. GREGORII PAPÆ, CONF. ET DOCT. **II classis**

## APRILIS

3

S. RICARDI EP. ET CONF. **III classis**

17

S. STEPHANI ABBATIS. **III classis**

19

S. ÆLPHEGI EP. ET MART. **III classis**

23

S. GEORGII MART. **I classis**

24

S. MELLITI EP. ET CONF. **III classis**

## MAJI

4

BEATORUM MART. ANG. ET CAMB. **III classis**

12

BB. MART. CARTHUSIANORUM. **III classis**

13

S. ERCONWALDI EP. ET CONF. **III classis**

14

S. RICARDI REYNOLDS MART. **III classis**

19

S. DUNSTANI EP. ET CONF. **III classis**

26

S. AUGUSTINI EP. ET CONF. **II classis**

28

B. MARGARITÆ POLE MART. NON VIRG. **III classis**

30

S. ELEUTHERII PAPÆ ET MART. **III classis**

## JUNII

9

IN TRANS. S. EDMUNDI EP. ET CONF. **III classis**

22

S. ALBANI MART. **III classis**

27

S. ETHELDREDÆ VIRG. **III classis**

28

IN DEDICATIONE ECCL. CATHEDRALIS. **I classis**

## JULII

9

SS. JOANNIS FISHER EP. ET THOMÆ MORE  
MART. **I classis**

## AUGUSTI

- 8 S. OSWALDI REGIS, MART. **III classis**  
11 S. GERMANI EP. ET CONF. **III classis**

## SEPTEMBRIS

- 19 S. THEODORI EP. ET CONF. **III classis**

## OCTOBRIS

- 13 S. EDUARDI REGIS, CONF. **II classis**  
22 S. THOMÆ HEREFORD. EP. ET CONF. **III classis**  
29 BB. MARTYRUM COLLEGII DUACENSIS **III classis**

## NOVEMBRIS

- 5 SACRARUM RELIQUIARUM. **III classis**  
16 S. EDMUNDI EP. ET CONF. **III classis**  
17 S. HUGONIS EP. ET CONF. **III classis**  
20 S. EDMUNDI REGIS, MART. **III classis**  
29 S. CUTHBERTI MAINE MART. **III classis**

## DECEMBRIS

- 1 BB. RICARDI WHITING, HUGONIS FARINGDON  
AC JOANNIS BECHE ABBATUM CUM SOCIIS  
EORUM MM. **III classis**  
4 S. OSMUNDI EP. ET CONF. **III classis**  
29 S. THOMÆ CANTUARIENSIS EP. ET M. **I classis**

**Die 29 Novembris**  
**S. CUTHBERTI MAINE MARTYRIS**  
**III classis**  
**Antiphona ad Introitum**  
**Ps. 20, 2-3**

In virtúte tua, Dómine, lætabitur justus: et super salutáre tuum exsultábit veheménter: desidérium ánimæ ejus tribuísti ei. **Ps. ibid., 4** Quóniam prævenísti eum in benedictiōibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretiósso. **V.** Glória Patri.

**Oratio**

Deus, qui beáto Cuthbérto ante céteros Seminariórum alúmnos cruciátum iter pro salúte animárum cùrrere dedísti: concéde nobis propítius; ut, eódem animárum zelo accénsi, vitam nostram pro áliis impéndere non dubitémus. Per Dóminum.

**Et, in Adventu, fit commemoratio fériæ.**

**Deinde commemoratio S. Saturnini Mart.:**

**Oratio**

Deus, qui nos beáti Saturníni Mártyris tui concédis natalítio pérfrui: ejus nos tríbue méritis adjuvári. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Jacóbi Apóstoli

**Jac. 1, 2-12**

Caríssimi: Omne gáudium existimáte, cum in tentatiōnes várias incidéritis: scientes quod probátio fídei vestræ patiéntiam operátur. Patiéntia autem opus perféctum habet: ut sitis perfécti et íntegri, in nullo deficiéntes. Si quis autem vestrum índiget sapiéntia, póstulet a Deo, qui dat ómnibus affluénter, et non impróperat: et dábitur ei. Póstulet autem in fide nihil hásitans: qui enim hásitat, símilis est flúctui maris, qui a vento movétur et circumféruntur. Non ergo æstimet homo ille quod accípiat áliquid a Dómino. Vir duplex ánimo incónstans est in ómnibus viis suis. Gloriétur autem frater húmilius in exaltatióne sua: dives autem in humilitáte sua, quóniam sicut flos fæni transíbit: exórtus est enim sol cum ardóre, et arefécit fænum, et flos ejus décidit, et decor vultus ejus depériit: ita et dives in itinéribus suis marcéscet. Beátus vir qui suffert tentatiónen: quóniam, cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

**Graduale****Ps. 111, 1-2**

Beátus vir qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. **V.** Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur.

Allelúja, allelúja. **V. Ps. 20, 4** Posuísti, Dómine, super caput ejus corónam de lápide pretiósso. Allelúja.

+ Sequéntia sancti Evángelii secúndum Mattéum

**Matth. 10, 34-42**

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte arbitrári quia pacem vénerim mítttere in terram: non veni pacem mítttere, sed gládium. Veni enim separáre hóminem advérsus patrem suum, et filiam advérsus matrem suam, et nurum advérsus socrum suam: et inimíci hóminis, doméstici ejus. Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus: et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus. Et qui non áccipit crucem suam et séquitur me, non est me dignus. Qui invénit ániam suam, perdet illam: et qui perdíderit ániam suam propter me, invéniet eam. Qui récipit vos, me récipit: et qui me récipit, récipit eum qui me misit. Qui récipit prophétam in nómine prophétæ, mercédem prophétæ accípiet: et qui récipit justum in nómine justi, mercédem justi accípiet. Et quicúmque potum déderit uni ex mínimis istis cálicem aquæ frígidae tantum in nómine discípuli: amen dico vobis, non perdet mercédem suam.

**Antiphona ad Offertorium****Ps. 8, 6-7**

Glória et honóre coronásti eum: et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, Dómine.

**Secreta**

Munéribus nostris, quásumus, Dómine, precibúsque suscéptis: et cælestibus nos munda mystériis, et cleménter exáudi. Per Dóminum.

**Et, in Adventu, fit commemoratio feriæ.**

**Pro S. Saturnino****Secreta**

Múnera, Dómine, tibi dicáta sanctifica: et, intercedénte beáto Saturnínio Mártyre tuo, per hæc éadem nos placátus inténde. Per Dóminum.

**Antiphona ad Communionem****Matth. 16, 24**

Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

### Postcommunio

Da, quásumus, Dómine Deus noster: ut, sicut tuórum commemoratióne sanctórum temporáli gratulámur officio, ita perpétuo lætémur aspéctu. Per Dóminum.

**Et, in Adventu, fit commemoratio feriæ.**

**Pro S. Saturnino**

**Postcommunio**

Sanctíficet nos, quásumus, Dómine, tui percéptio sacraménti: et intercessióne Sanctórum tuórum tibi reddat acceptos. Per Dóminum.

### Die 1 Decembris

**BB. RICARDI WHITING, HUGONIS FARINGDON AC JOANNIS BECHE  
ABBATUM CUM SOCIIS EORUM MM.**

III classis

**Antiphona ad Introitum**

Ps. 79, 9, 11

Víneam de Ægypto transtulísti: eiecísti Gentes, et plantásti eam. Opéruit montes umbra ejus: et arbústa ejus cedros Dei. **Ps. ibid., 2** Qui regis Israël, inténde: qui dedúcis velut ovem Joseph. **V.** Glória Patri.

### Oratio

Præsta, quásumus, omnípotens Deus: ut, qui gloriósos Abbátes eorúmque Sócios pro unitáte Ecclésiæ tuæ Mártyres fortes in sua confessióne cognóvimus; pios apud te in nostra intercessióne sentiámus. Per Dóminum.

**Et, in Adventu, fit commemoratio feriæ.**

Léctio Jeremíæ Prophétæ

Thren. 5, 1-7

Recordáre, Dómine, quid accíderit nobis: intuére, et résponce opprórium nostrum. Heréditas nostra versa est ad alienos: domus nostræ ad extráneos. Pupílli facti sumus absque patre, matres nostræ quasi víduæ. Aquam nostram pecúnia bíbimus: ligna nostra prétio comparávimus. Cervícibus nostris minabámur, lassis non dabátur réquies. Ægypto dédimus manum et Assýriis ut saturarémur pane. Patres nostri peccavérunt, et non sunt; et nos iniquítates eórum portávimus.

**Graduale**

**Isai. 51, 3**

Consolábitur ergo Dóminus Sion, et consolábitur omnes ruínas ejus; et ponet desértum ejus quasi delícias, et solitúdinem ejus quasi hortum Dómini. **V.** Gáudium et lætitia inveniétur in ea, gratiárum áctio et vox laudis.

Allelúja, allelúja. **V.** Te Mártyrum candidátus laudat exércitus, Dómine. Allelúja.

+ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Mattháeum  
Matth. 16, 15-18

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vos autem quem me esse dícitis? Respóndens Simon Petrus, dixit: Tu es Christus Fílius Dei vivi. Respóndens autem Jesus dixit ei: Beátus es, Simon Bar Jona: quia caro et sanguis non revelávit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam, et portæ ínferi non prævalébunt advérsus eam.

Antiphona ad Offertorium  
Isai. 51, 1, 2

Atténdite ad petram unde excísi estis. Atténdite ad Abraham patrem vestrum: quia unum vocávi eum, et benedíxi ei, et multiplicávi eum.

Secreta

Beatórum Abbátum ac Mártyrum tuórum, quásumus, Dómine, Ricárdi, Hugónis, Joánnis et Sociórum sit tibi grata conféssio: quæ et múnera nostra comméndet, et tuam nobis indulgéntiam semper implóret. Per Dóminum.

**Et, in Adventu, fit commemoratio feriæ.**

Antiphona ad Communionem  
Ps. 79, 15-16

Réspice de cælo, et vide, et vísita víneam istam; et périfice eam, quam plantávit déxtera tua.

Postcommunio

Quásumus, Dómine, ut beatórum Mártyrum tuórum Ricárdi, Hugónis, Joánnis, eorúmque Sociórum deprecationibus: sacraménta sancta, quæ súmpsimus; nobis ad mundi despéctum et ad fídei firmitátem profícient. Per Dóminum.

**Et, in Adventu, fit commemoratio feriæ.**

Die 4 Decembris  
S. OSMUNDI EP. ET CONF.  
III classis

**Missa Státuit, de Comm. Conf. Pont. 1 loco, præter Orationes sequentes:**

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui nos beáti Osmúndi Confessóris tui atque Pontíficis hodiérana festivitaté lætíficas: tuam súpplices exorámus cleméntiam;

ut, cuius solémnia devótis offíciis venerámur, ejus piis suffrágiiis ætérnæ vitæ glóriam consequámur. Per Dóminum.

## Et fit commemoratio feriæ.

## Deinde commemoratione S. Petri Chrysologi Ep., Conf. et Eccl. Doct.:

## Oratio

Deus, qui beátum Petrum Chrysólogum Doctórem egrégium, divínitus præmonstrátum, ad regéndam et instruéndam Ecclésiam tuam éligi voluísti: præsta, quásumus; ut, quem Doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. Per Dóminum.

Secreta

Múnera nostra, quásumus, Dómine, méritis et intercessiónibus muníci Confessóris tui Osmúndi sanctífica: ut in Filii tui Dómini nostri Jesu Christi corpus et sanguinem convertántur; et ad nostrárum profícient salútem animárum. Per eúndem Dóminum.

## Et fit commemoratio feriæ.

Pro S. Petro Chrysologo

Secreta

Sancti Petri Chrysólogi Pontíficis tui atque Doctóris nobis, Dómine, pia non desit oráto: quæ et múnera nostra concílet; et tuam nobis indulgéntiam semper obtíneat. Per Dóminum.

Postcommunio

Sumptis, Dómine, munéribus sacris, te súpplices deprecámur: ut eórum virtúte  
roboráti, beáti Osmúndi Confessóris tui atque Pontíficis imitémur exémpla; et ad  
gáudia perveniámus aétérna. Per Dóminum.

## Et fit commemoratio feriæ.

Pro S. Petro Chrysologo

Postcommunio

Ut nobis, Dómine, tua sacrificia dent salútem: beátus Petrus Chrysólogus Póntifex tuus et Doctor egrégius, quásumus, precátor accédat. Per Dóminum.

Die 29 Decembris

# S. THOMÆ CANTUARIENSIS EP. ET M.

I classis

Omnia ut in Missali hac die.

**Die 3 Februarii  
S. LAURENTII EP. ET CONF.**

III classis

**Missa** Sacerdótes tui, **de Comm. Conf. Pont. 2 loco.**

Oratio

Exáudi, quásumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Lauréntii Confessóris tui atque Pontíficis sollemnité deférimus: et, qui tibi digne méritum famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

**Et fit commemoratio S. Blasii Ep. et Mart.:**

Oratio

Deus, qui nos beáti Blásii Mártyris tui atque Pontíficis ánnua sollemnité lætificas: concéde propítius; ut, cuius natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum.

Secreta

Sancti Lauréntii Confessóris tui atque Pontíficis, quásumus, Dómine, ánnua sollémnitas pietáti tuæ nos reddat accéptos: ut, per hæc piæ placatiónis offícia, et illum beáta retribútio comitétur, et nobis grátiæ tuæ dona concíliet. Per Dóminum.

**Pro S. Blasio**

**Secreta**

Múnera tibi, Dómine, dicáta sanctífica: et, intercedénte beáto Blásio Mártyre tuo atque Pontífice, per éadem nos placátus inténde. Per Dóminum.

Postcommunio

Deus, fidélium remunerátor animárum: præsta; ut beáti Lauréntii Confessóris tui atque Pontíficis, cuius venerándam celebrámus festivitatē, précibus indulgentiam consequámur. Per Dóminum.

**Pro S. Blasio**

**Postcommunio**

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crímine: et, intercedénte beáto Blásio Mártyre tuo atque Pontífice, cælestis remédii fáciat esse consórtes. Per Dóminum.

**Die 25 vel 26 Februarii  
S. ÆTHELBERTI REGIS, CONFESSORIS**

III classis

**Missa** Os justi, **de Comm. Conf. non Pont. 1 loco.**

### Oratio

Deus, qui beátum regem Æthelbértum Confessórem tuum æternitátis glória coronásti: fac nos, quæsumus; ita eum venerári in terris, ut cum eo regnáre possímus in cælis. Per Dóminum.

### Secreta

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratióne Sanctórum: quibus nos et præséntibus éxui malis confídimus, et futúris. Per Dóminum.

### Postcommunio

Refécti cibo potúque cælesti, Deus noster, te súpplices exorámus: ut, in cuius hæc commemoratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum.

### Die 1 Martii

#### S. DAVID EP. ET CONF.

Patron. Princ. Cambriæ

III classis

**Missa** Státuit, **de Comm. Conf. Pont. 1 loco, præter Orationem sequentem:**  
**Oratio**

Concéde nobis, omnípotens Deus: ut beáti David Confessóris tui atque Pontíficis pia intercéssio nos prótegat; et, dum ejus sollémnia celebrámus, in cathólica tuénda fide firmitátem imitémur. Per Dóminum.

### Secreta

Sancti tui, quæsumus, Dómine, nos ubíque lætíficent: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

### Postcommunio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto David Confessóre tuo atque Pontífice, benefícia potióra sumámus. Per Dóminum.

### Die 12 Martii

#### S. GREGORII PAPÆ, CONFESSORIS ET ECCLESIAE DOCTORIS

Anglorum Apostoli

II classis

**Missa ut in Missali hac die.**

**Præfatio de Quadragesima.**

**Die 3 Aprilis**  
**S. RICARDI Ep. et Conf.**  
**III classis**

**Missa** Státuit, **de Comm. Conf. Pont.1 loco, præter Orationes sequentes:**

**Oratio**

Deus, qui Ecclésiam tuam méritis beáti Ricárди, Confessóris tui atque Pontíficis, fecísti miráculis coruscáre gloriósis: concéde nos fámulos tuos; ipsíus intercessióne, ad ætérnam beatitúdinis glóriam perveníre. Per Dóminum.

**Secreta**

Concéde, quásumus, miséricors Deus: ut intercedénte beáto Ricárdo Confessóre tuo atque Pontífice, óculis tuæ majestátis munus oblátum et grátiam nobis bene vivéndi obtíneat, et glóriam sempitérnam acquírat. Per Dóminum.

**Postcommunio**

Hæc sacrosáncta sumpta mystéria nobis efféctum, Dómine, cónferant salutárem: quorum beátus Ricárdus, Conféssor tuus atque Póntifex, devótus éxstitit dispensátor. Per Dóminum.

**Die 17 Aprilis**  
**S. STEPHANI ABBATIS**

**III classis**

**Missa** Os justi, **de Comm. Abb., præter Orationem sequentem:**

**Oratio**

Deus, cujus múnere beátus Stéphanus Abbas, ut perféctus esset, ómnia relíquit: da cunctis evangélicæ perfectiónis sémitam ingréssis; ut nec retro respícant, nec in via häreant, sed ad te sine offensióne curréntes vitam ætérnam, ad quam vocáti sunt, apprehéndant. Per Dóminum.

**Et fit commemoratio S. Aniceti Papæ et Martýris.:**

**Oratio**

Gregem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde: et per beátum Anicétum, Mártyrem tuum atque Summum Pontíficem, perpétua protectíone custódi; quem totíus Ecclésiæ præstítisti esse pastórem. Per Dóminum.

**Secreta**

Sacris altáribus, Dómine, hóstias superpósitas sanctus Benedíctus Abbas, quásumus, in salútem nobis proveníre depóscat. Per Dóminum.

**Pro S. Aniceti**

**Secreta**

Oblátis munéribus, quás sumus, Dómine, Ecclésiam tuam benígnus illúmina: ut, et gregis tui profíciat ubíque succéssus, et grati fiant nómini tuo, te gubernánte, pastóres. Per Dóminum.

**Postcommunio**

Prótegat nos, Dómine, cum tui perceptióne sacraménti beátus Benedíctus Abbas pro nobis intercedéndo: ut et conversatiónis ejus experiámur insígnia, et intercessiónis percipiámus suffrágia. Per Dóminum.

**Pro S. Aniceti**

**Postcommunio**

Refectíone sancta enutrítam gubérna, quás sumus, Dómine, tuam placátus Ecclésiam: ut poténti moderatíone dirécta, et increménta libertátis accípiat et in religiónis integrítate persístat. Per Dóminum.

**Die 19 Aprilis**

**S. AELPHEGI EPISCOPI ET MARTYRIS**

**III classis**

**Antiphona ad Introitum**

**Ps. 63, 3**

Protexísti me, Deus, a convéntu malignántium, allelúa: a multitúdine operántium iniquitátem, allelúa, allelúa. **Ps. ibid., 2** Exáudi, Deus, oratióne meam cum déprecor: a timóre inimíci éripe ánimam meam. **V.** Glória Patri.

**Oratio**

Deus, qui beátum Aelphégum devotíssimum tui nóminis Confessórem sacerdotáli dignitaté et martýrii palma decorásti: concéde propítius; ita nos apud te ejus intercessióibus adjuvári, ut cum eo possímus in ætérra felicitáte létári. Per Dóminum.

**Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos**

**Hebr. 5, 1-4**

Fratres: Omnis póntifex ex homínibus assúmptus, pro homínibus constitúitur in iis, quæ sunt ad Deum: ut ófferat dona, et sacrificia pro peccátis: qui condolére possit iis, qui ignórant et errant: quóniam et ipse circúmdatus est infirmitáte: et proptérea debet, quemádmodum pro pópulo, ita étiam et pro semetípsso offérre pro peccátis. Nec quisquam sumit sibi honórem, sed qui vocátur a Deo, tamquam Aaron.

Allelúa, allelúa **V. Ps. 88, 6** Confitebúntur cæli mirabília tua, Dómine: étenim veritaté tuam in ecclésia sanctórum. Allelúa. **V. Ps. 20, 4** Posuísti, Dómine, super caput ejus corónam de lápide pretiósso. Allelúa.

**+ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem**

**Joann. 15, 1-7**

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Ego sum vitis vera: et Pater meus agrícola est. Omnem pálmitem in me non feréntem fructum, tollet eum: et omnem, qui fert fructum, purgábit eum, ut fructum plus áfferat. Jam vos mundi estis propter sermónum, quem locútus sum vobis. Manéte in me: et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetípso, nisi mánserit in vite: sic nec vos, nisi in me mansératis. Ego sum vitis, vos pálmites: qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potéstis fácer. Si quis in me non mánserit, mittétur foras sicut palmes, et aréscet, et cólligent eum, et in ignem mittent, et ardet. Si mansératis in me, et verba mea in vobis mánserint: quodcúmque voluératis, petétis, et fiet vobis.

**Antiphona ad Offertorium**

**Ps. 88, 6**

Confitebúntur cæli mirabília tua, Dómine: et veritátem tuam in ecclésia sanctórum, allelúja, allelúja.

**Secreta**

Hóstias tibi, Dómine, beáti Ælphégi Mártyris tui atque Pontíficis dicátas méritis, benígnus assúme: et ad perpéturn nobis tríbue proveníre subsídium. Per Dóminum.

**Antiphona ad Communionem**

**Ps. 63, 11**

Lætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo: et laudabúntur omnes recti corde, allelúja, allelúja.

**Postcommunio**

Refécti participatióne múnneris sacri, quásumus, Dómine Deus noster: ut, cujus exséquimur cultum, intercedénte beáto Ælphégo Mártyre tuo atque Pontífice, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

**Die 23 Aprilis  
S. GEORGII MARTYRIS**

**Patroni Princ. Angliæ**

**I classis**

**Missa ut in Missali eadem die, et in Anglia dicitur Credo.**

**Die 24 Aprilis**  
**S. MELLITI EPISCOPI ET CONFESSORIS**

III classis

**Missa** Státuit, **de Comm.** Conf. Pont. 1 loco, præter Orationes omnes e Missa Sacerdótes tui, **de Comm.** 2 loco.

Oratio

Exáudi, quásumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Melliti Confessóris tui atque Pontíficis sollemnitáte deférimus: et, qui tibi digne méritum famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

Secreta

Sancti Melliti Confessóris tui atque Pontíficis, quásumus, Dómine, ánnua sollémnitas pietáti tuæ nos reddat accéptos: ut, per hæc piæ placatiónis offícia, et illum beáta retribúto comítetur, et nobis grátiæ tuæ dona concílet. Per Dóminum.

Postcommunio

Deus, fidélium remunerátor animárum: præsta; ut beáti Melliti Confessóris tui atque Pontíficis, cujus venerándam celebrámus festivitátem, précibus indulgentiam consequámur. Per Dóminum.

**Die 4 Maii**  
**BEATORUM MARTYRUM ANGLIÆ ET CAMBRIÆ**

III classis

Antiphona ad Introitum

Ps. 78, 1

Deus, venérunt gentes in hereditátem tuam, polluérunt templum sanctum tuum: posuérunt Jerúsalem in pomórum custódiam, allelúja, allelúja. **Ps. ibid., 2** Posuérunt morticína servórum tuórum escas volatílibus cæli: carnes sanctórum tuórum béstii terræ. **V.** Glória Patri.

Oratio

Deus, qui beátos Mártyres tuos Joánnem Pontíficem, Thomam, eorúmque sócios veræ fídei summíque sacerdótii propugnatóres inter Anglos omni ex órdine suscitásti: eórum méritis ac précibus concéde; ut ejúsdem fídei professióne unum omnes, sicut tuus rogávit Fílius, efficiámur et simus: Qui tecum vivit.

**Et fit commemoratio S. Monicæ Vid.:**

Oratio

Deus, mæréntium consolátor et in te sperántium salus, qui beátæ Mónicæ pias lácrimas in conversióne filii sui Augustíni misericórditer suscepísti: da nobis

utriúsque intervéntu; peccáta nostra deploráre, et grátiæ tuæ indulgéntiam inveníre.

### Deinde pro Anglia

### Oratio

Deus, qui nos ab Ecclésiæ nostræ nascéntis exórdio beátæ Maríæ Vírginis dotem, ac Petro Apostolórum Príncipi súbditos effecísti: concéde propítius; ut in cathólicæ fídei firmitáte constánter eámdem beatíssimam Vírginem diligere, atque in Petri obediéntia permanére valeámus. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebréos

Hebr. 12, 1-10

Fratres: Tantam habéntes impósitam nubem téstium, deponéntes omne pondus, et circúmstans nos peccátum, per patiéntiam currámus ad propósitum nobis certámen: aspiciéntes in auctórem fídei et consummatórem Jesum, qui propósito sibi gáudio sustínuit crucem, confusióne contémpta, atque in déxtera sedis Dei sedet. Recogitáte enim eum qui talem sustínuit a peccatóribus advérsum semetípsum contradiccióne: ut ne fatigémini, ánimes vestris deficiéntes. Nondum enim usque ad ságuinem restitístis, advérsus peccátum repugnántes: et oblíti estis consolatiónis, quæ vobis tamquam filiis lóquitur, dicens: Fili mi, noli neglígere disciplínam Dómini, neque fatigérис dum ab eo argúeris. Quem enim díligit Dóminus, castígat: flagéllat autem omnem fílium quem rēcipit. In disciplína perseveráte. Tamquam filiis vobis offert se Deus: quis enim fílius quem non cárripit pater? Quod si extra disciplínam estis, cujus partícipes facti sunt omnes: ergo adulteri et non fílii estis. Deínde patres quidem carnis nostræ eruditóres habúimus, et reverebámur eos: non multo magis obtemperábimus Patri spirítuum, et vivémus? Et illi quidem in témpore paucórum diérum secúndum voluntátem suam erudiébant nos: hic autem ad id quod útile est in recipiéndo sanctificacióne ejus.

Allelúja, allelúja. **V.** Sancti tui, Dómine, florébunt sicut lílum, et sicut odor bálsami erunt ante te. Allelúja. **V. Ps. 115, 15** Pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus. Allelúja.

### Extra tempus paschale:

### Graduale

**Ps. 78, 3-4 et 8**

Effudérunt ságuinem eórum tamquam aquam in circúitu Jerúsalem: et non erat qui sepelíret: facti sumus oppróbrium vicínis nostris, subsannátio et illúsio his qui in circúitu nostro sunt. **V.** Ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum, cito antícipent nos misericórdiæ tuæ.

Allelúja, allelúja. **V.** Nos autem póplus tuus et oves páscuæ tuæ, confitébimur tibi in sáculum. Allelúja.

**+ Seqéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem**

**Joann. 10, 23-30**

In illo témpore: Ambulábatur Jesus in templo, in pórticu Salomónis. Circumdedérunt ergo eum Judáei, et dicébant ei: Quoúsque ánimam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam. Respondit eis Jesus: Loquor vobis, et non créditis: ópera quæ ego fácio in nómine Patris mei, hæc testimónium pérhibent de me: sed vos non créditis, quia non estis ex óvibus meis. Oves meæ vocem meam áudiunt: et ego cognósco eas, et sequúntur me: et ego vitam ætérnam do eis: et non peribunt in ætérnum, et non rápiet eas quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi, majus ómnibus est: et nemo potest rápere de manu Patris mei. Ego et Pater unum sumus.

**Antiphona ad Offertorium**

**Baruch. 3, 5-6**

Noli meminísse iniquitátum patrum nostrórum, sed meménto manus tuæ et nómínis tui in témpore isto: quia tu es Dóminus Deus noster, et laudábimus te, Dómine, allelúja.

**Secreta**

Exáudi voces, Dómine, beatórum Mártyrum tuórum sub altáre tuum clamántium: et oblatiónibus nostris placátus inténde. Per Dóminum.

**Pro S. Monica**

**Secreta**

Accépta tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio pro tuórum honóre sanctórum: quorum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxílium.

**Pro Anglia**

**Secreta**

Clementíssime Deus, cujus misericórdiæ non est númerus, immaculátæ hujus hóstiæ oblatióne placátus, beáta María Vírgine cum Petro Apostolórum Príncipe intercedénte, ita pópuli hujus mentem illúmina et corda succénde: ut in ea fide quæ caritátem operátur constans persevéret. Per Dóminum.

**Antiphona ad Communionem**

Sub altáre Dei audívi vocem occisórum dicéntium: Quare non deféndis ságuinem nostrum? Et accepérunt divínum respónsum: Adhuc sustinéte módicum tempus, donec impleátur númerus fratrum vestrórum, allelúja.

**Postcommunio**

Caelésti convívio refécti, quás sumus, Dómine Deus noster: ut, intercedéntibus beátis Martýribus tuis, ad eorúmdem consórtium perveníre mereámur. Per Dóminum.

**Pro S. Monica**

**Postcommunio**

Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus, quásumus, semper interventiόne nos réfove, cujus sollέmnia celebrámus.

**Pro Anglia**

**Postcommunio**

Deus, qui gentem nostram, beatæ Maríæ Vírginis dotem, antíqua erga Petrum Apóstolum fidelitáte clarificásti: hujus sacrificii virtúte; eam in ejúsdem beatæ Maríæ Vírginis afféctu, atque erga Apostólicam Sedem obediéntia confírma. Per Dóminum.

**Die 12 Maji**

**BB. MARTYRUM CARTHUSIANORUM**

**III classis**

**Antiphona ad Introitum**

**Ps 144, 10-11**

Sancti tui, Dómine, benedícent te: glóriam regni tui dicent, allelúja, allelúja. **Ps. ibid., 1** Exaltábo te, Deus meus rex: et benedícam nómini tuo in sáculum, et in sáculum sáculi. **V.** Glória Patri.

**Oratio**

Magníficet te, Dómine, beatórum Joánnis, et Sociórum Mártyrum sancta sollémnitas: qua et illis glóriam sempitérnam, et opem nobis ineffábili providéntia contulísti. Per Dóminum.

**Et fit commemoratio Ss. Nerei, Achillei, Domitillæ atque Pancratii Martýrum.:**

**Oratio**

Semper nos, Dómine, Mártyrum tuórum Nérei, Achíllei, Domitillæ atque Pancrátii fóveat, quásumus, beáta solémnitas: et tuo dignos reddat obséquio. Per Dóminum.

**Léctio Epístolæ beáti Petri Apóstoli**

**I Petr. 4, 13-19**

Caríssimi: Communicántes Christi passióibus gaudéte, ut et in revelatiōne glóriæ ejus gaudeátis exsultántes. Si exprobrámini in nómine Christi, beáti éritis: quóniam quod est honóris, glóriæ, et virtútis Dei, et qui est ejus Spíritus, super vos requiéscit. Nemo autem vestrum patiátur ut homicída, aut fur, aut malédicus, aut alienórum appetítor. Si autem ut christiánus, non erubéscat: gloríficet autem Deum in isto nómine. Quóniam tempus est, ut incípiat judíciū a domo Dei. Si autem primum a nobis: quis finis eórum, qui non credunt Dei Evangéliο? Et si justus vix salvábitur, ímpius et peccátor ubi parébunt? Itaque et

hi, qui patiúntur secúndum voluntátem Dei, fidéli Creatóri comméndent áimas suas in benefáctis.

Allelúja, allelúja. **V.** Sancti tui, Dómine, florébunt sicut lílum: et sicut odor bálsami erunt ante te. Allelúja. **V. Ps. 115, 15** Pretiosa in conspéctu Dómini, mors Sanctórum ejus. Allelúja.

**+ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Mattháeum  
Matth. 10, 34-42**

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolite arbitrári, quia pacem vénerim mítttere in terram: non veni pacem mítttere, sed gládium. Veni enim separáre hóminem advérsus patrem suum, et filiam advérsus matrem suam, et nurum advérsus socrum suam: et inimíci hóminis, doméstici ejus. Qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non est me dignus: et qui amat fílium, aut filiam super me, non est me dignus. Et qui non áccipit crucem suam, et séquitur me, non est me dignus. Qui invénit ánimam suam, perdet illam: et qui perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam. Qui rácipit vos, me rácipit: et qui me rácipit, rácipit eum, qui me misit. Qui rácipit prophétam in nómine prophétæ, mercédem prophétæ accípiet: et qui rácipit justum in nómine justi, mercédem justi accípiet. Et quicúmque potum déderit uni ex mínimis istis cálicem aquæ frígidae tantum in nómine discípuli: amen dico vobis, non perdet mercédem suam.

**Antiphona ad Offertorium  
Ps. 31, 11**

Lætámini in Dómino, et exsultáte, justi: et gloriámini, omnes recti corde, allelúja, allelúja.

**Secreta**

In tuórum, Dómine, pretiosa morte justórum sacrificium illud offérimus, de quo martýrium sumpsit omne princípium. Per Dóminum.

**Pro Ss. Martyribus**

**Secreta**

Sanctórum Mártyrum tuórum, quásumus, Dómine, Nérei, Achíllei, Domitíllæ atque Pancrátii sit tibi grata conféssio: quæ et múnera nostra comméndet, et tuam nobis indulgéntiam semper implóret. Per Dóminum.

**Antiphona ad Communionem  
Ps. 32, 1**

Gaudéte, justi, in Dómino, allelúja: rectos decet collaudátio, allelúja.

### Postcommunio

Sit nobis, Dómine, hoc tuum sacraméntum pignus beatitúdinis ætérnæ: quæ beatórum Mártyrum tuórum Joánnis et Sociórum méritis implorátur. Per Dóminum.

**Pro Ss. Martyribus**

**Postcommunio**

Quásumus, Dómine: ut, beatórum Mártyrum tuórum Nérei, Achíllei, Domitíllæ atque Pancrátii deprecatióibus, sacraménta sancta, quæ súmpsimus, ad tuæ nobis profícient placatiónis augméntum. Per Dóminum.

**Die 13 Maji**

**S. ERCONWALDI EP. ET CONF.**

**III classis**

**Missa** Sacerdótes tui, **de Comm. Conf. Pont. 2 loco, præter Orationes sequentes:**

**Oratio**

Omnípotens sempitérne Deus, qui nos beáti Erconwálidi Confessóris tui atque Pontíficis hodiérna festivitaté lætificas: tuam súpplices exorámus cleméntiam; ut, cuius sollémnia devótis officiis venerámur, ejus piis suffrágiis ætérnæ vitæ remédia consequámur. Per Dóminum.

**Et fit commemoratio S. Roberti, Ep., Conf., et Eccl. Doct.:**

**Oratio**

Deus, qui ad errórum insídias repelléndas et Apostólicæ Sedis jura propugnánda, beátum Robértum, Pontíficem tuum atque Doctórem, mira eruditiónē et virtúte decorásti: ejus méritis et intercessióne concéde; ut nos in veritatis amóre crescámus et errántium corda ad Ecclésiæ tuæ rédeant unitátem. Per Dóminum.

**Secreta**

Propitiáre, quásumus, Dómine, supplicatióibus nostris: et, intercedénte beáto Erconwálido Confessóre tuo atque Pontífice, tuis sacraméntis cælestibus serviéntes ab omni culpa líberos esse concéde; ut, purificánte nos grátia tua, eisdem quibus famulámur mystériis emundémur. Per Dóminum.

**Pro S. Roberti,**

**Secreta**

Hóstias tibi, Dómine, in odórem suavitatis offérimus: et præsta; ut, beáti Robérti mónitis et exémplis edócti, per sémitam mandatórum tuórum dilatáto corde currámus. Per Dóminum.

### Postcommunio

Præsta, quæsumus, Dómine Deus noster: ut, divinis mystériis expiáti; intercedénte beáto Erconwáldo Confessóre tuo atque Pontífice, ad supérni plenitúdinem sacraménti, cuius libávimus sancta, tendámus. Per Dóminum.

Pro S. Roberti,

### Postcommunio

Sacraménta, quæ súmpsimus, Dómine Deus noster, in nobis fóveant caritátis ardórem: quo beátus Robértus vehémenter accénsus, pro Ecclésia tua se júgiter impendébat. Per Dóminum.

### Die 14 Maji

#### **S. RICARDI REYNOLDS MARTYRIS**

##### III classis

##### Antiphona ad Introitum

Ps. 63, 11

Lætabitur justus in Dómino, et sperábit in eo: et laudabúntur omnes recti corde, allelúja, allelúja. **Ps. ibid.** Exáudi, Deus, oratióne meam cum déprecor: a timóre inimíci éripe ánimam meam. **V.** Glória Patri.

### Oratio

Deus, qui inter exímios Apostólicæ Sedis Mártires beátum Ricárdum benígne collocásti: da nobis ejus exémplo et intercessióne; ut in fidéli ejúsdem Sanctæ Sedis obséquio peramánter vivámus et devotíssime moriámur. Per Dóminum.

**Et fit commemoratio S. Bonifatii, Mart.:**

### Oratio

Da, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui beáti Bonifátii Mártiris tui solémnia cólimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Petri Apóstoli

**I Petr. 4, 13-19**

Caríssimi: Communicántes Christi passiónibus gaudéte, ut et in revelatióne glóriæ ejus gaudeátis exsultántes. Si exprobrámini in nómine Christi, beáti éritis: quóniam quod est honóris, glóriæ, et virtútis Dei, et qui est ejus Spíritus, super vos requiéscit. Nemo autem vestrum patiátur ut homicída, aut fur, aut malédicus, aut alienórum appetítor. Si autem ut christiánus, non erubéscat: gloríficet autem Deum in isto nómine. Quóniam tempus est, ut incípiat judícium a domo Dei. Si autem primum a nobis: quis finis eórum, qui non credunt Dei Evangélio? Et si justus vix salvábitur, ímpius et peccátor ubi parébunt? Itaque et

hi, qui patiúntur secúndum voluntátem Dei, fidéli Creatóri comméndent áimas suas in benefáctis.

Allelúa, allelúa. **V. Ps. 88, 6** Confitebúntur cæli mirabilia tua, Dómine; étenim veritátem tuam in ecclesia Sanctórum. Allelúa. **V. Ps. 20, 4** Posuísti, Dómine, super caput ejus corónam de lápide pretióso. Allelúa.

+ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem  
**Joann. 12, 24-26**

In illo tempore: Dixit Jesus discípulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum fruménti cadens in terram, mórtuum fúerit, ipsum solum manet: si autem mórtuum fúerit, multum fructum affert. Qui amat ánimam suam, perdet eam: et qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam. Si quis mihi minístrat, me sequátur: et ubi sum ego, illic et miníster meus erit. Si quis mihi ministráverit, honorificábit eum Pater meus.

**Antiphona ad Offertorium**  
**Ps. 20, 4-5**

Posuísti, Dómine, in cápite ejus corónam de lápide pretioso: vitam pétuit a te, et tribuísti ei, allelúa.

**Secreta**

Accépta sit in conspéctu tuo, Dómine, nostra devótio: et ejus nobis fiat supplicatióne salutáris, pro cujus sollemnítate defértur. Per Dóminum.

**Pro S. Bonifatio**                            **Secreta**  
Muréribus nostris, quásumus, Dómine, precibúsque suscéptis: et cælestibus nos munda mystériis, et cleménter exáudi. Per Dóminum.

**Antiphona ad Communionem**  
**Joann. 12, 26**

Qui mihi minístrat, me sequátur: et ubi sum ego, illic et miníster meus erit, allelúa.

**Postcommunio**

Refécti participatióne múneris sacri, quásumus, Dómine Deus noster: ut, cujus exséquimur cultum, intercedénte beáto Ricárdo Mártyre tuo, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

**Pro S. Bonifatio**                            **Postcommunio**  
Refécti participatióne múneris sacri, quásumus, Dómine, Deus noster: ut, cujus exséquimur cultum, intercedénte beáto Bonifátio Mártyre tuo, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

**Die 19 Maji**  
**S. DUNSTANI EP. ET CONF.**

**III classis**

**Missa** Sacerdótes tui, **de Comm. Conf. Pont. 2 loco, præter Orationes sequentes:**

**Oratio**

Deus, qui beátum Dunstánum Pontíficem tuum ad regna transtulísti cælestia:  
da nobis per gloriósa ejus mérita ad gáudia transíre perénnia. Per Dóminum.

**Et fit commemoratio S. Petri Cælestini Papæ et Conf.:**

**Oratio**

Deus, qui beátum Petrum Cælestínus ad summi pontificátus ápicem sublimásti,  
quiique illum humilitáti postpónere docuísti: concéde propítius; ut ejus exémplo  
cuncta mundi despícere, et ad promíssa humílibus præmia perveníre feliciter  
mereámur. Per Dóminum.

**Deinde, commemoratio S. Pudentianæ, Virg.:**

**Oratio**

Exáudi nos, Deus salutáris noster: ut, sicut de beátæ Pudentianæ Vírginis tuæ  
festivitaté gaudémus, ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

**Secreta**

Súscipe, quásumus, Dómine, múnera supplicántis famíliæ tuæ: quæ tibi in beáti  
Dunstáni Confessóris tui atque Pontíficis sollemnitáte deférimus, precántes; ut,  
ejus patrocínio venerándo adjúti, deféndi mereámur ab ómnium inimicórum  
insídiis. Per Dóminum.

**Pro S. Petri Cælestini**

**Secreta**

Oblátis munéribus, quásumus, Dómine, Ecclésiam tuam benígnus illúmina: ut,  
et gregis tui profíciat ubíque succéssus, et grati fiant nómini tuo, te gubernánte,  
pastóres. Per Dóminum.

**Pro S. Pudentianæ**

**Secreta**

Accépta tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio pro tuórum honóre Sanctórum:  
quorum se méritis de tribulatióne percepísse cogníscit auxílium. Per Dóminum

**Postcommunio**

Beáti Dunstáni Confessóris tui atque Pontíficis, quásumus, Dómine, precatiōne  
nos áduva, in cujus veneratióne tua contígimus sacraménta. Per Dóminum.

**Pro S. Petri Cælestini**

**Postcommunio**

Refectio ne sancta enutritam gubérna, quásumus, Dómine, tuam placatus Ecclésiam: ut poténti moderatiōne dirécta, et incremēnta libertatis accípiat et in religiónis integritatē persístat. Per Dóminum.

**Pro S. Pudentianæ**

**Postcommunio**

Satiásti, Dómine, familiam tuam munéribus sacris: ejus, quásumus, semper interventiōne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

**Die 26 Maji**

**S. AUGUSTINI EP. ET CONF.**

**Anglorum Apostoli**

**II classis**

**In tota Anglia et Cambria**

**Antiphona ad Introitum**

**Ps. 131, 9-10**

Sacerdótes tui, Dómine, índuant justitiam, et sancti tui exsúltent: propter David servum tuum, non avértas fáciem Christi tui. (**T.P.** Allelúja, allelúja.) **Ps. ibid., 1** Meménto, Dómine, David: et omnis mansuetudinis ejus. **V.** Glória Patri.

**Oratio**

Deus, qui beátum Augustínū Pontíficem primum Doctórem pôpulo concessísti Anglórūm: tríbue nobis, quásumus; ut, cujus mérita prædicámus in terris, ejus suffrágia sentiámus in cælis. Per Dóminum.

**Et fit commemoratio S. Philippi Nerii Conf. tantum:**

**Oratio**

Deus, qui beátum Philíppum Confessórem tuum Sanctórum tuórum glória sublimásti: concéde propítius; ut, cujus sollemnitáte lætamur, ejus virtútum proficiámus exémplo. Per Dóminum.

**Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebráeos**

**Hebr. 7, 23-27**

Fratres: Plures facti sunt sacerdótes, idcirco quod morte prohiberéntur permanére: Jesus autem, eo quod máneat in æténum, sempitérnum habet sacerdótium. Unde et salvare in perpétuum potest accédentes per semetipsum ad Deum: semper vivens ad interpellandum pro nobis. Talis enim decébat ut nobis esset pónifex, sanctus, ínnocens, impollútus, segregátus a peccatóribus, et excélsior cælis factus: qui non habet necessitátem cotídie, quemádmodum

sacerdótes, prius pro suis delíctis hóstias offérre, deínde pro pópuli: hoc enim fecit semel, seípsum offeréndo, Jesus Christus Dóminus noster.

**Graduale**

**Ps. 131, 16-17**

Sacerdótes ejus índuam salutári: et sancti ejus exsultatióne exsultábunt. **V.** Illuc prodúcām cornu David: parávi lucérnam Christo meo.

Allelúja, allelúja. **V. Ps. 109, 4** Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum: Tu es sacérdos in æténum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja.

**Tempore autem Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:**

Allelúja, allelúja. **V. Ps. 109, 4** Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum: Tu es sacérdos in æténum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja. **V. Eccli 45, 9** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum. Allelúja.

**+ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam**

**Luc. 10, 1-9**

In illo témpore: Designávit Dóminus et álios septuagínta duos: et misit illos binos ante fáciem suam in omnem civitátem et locum quo erat ipse ventúrus. Et dicébat illis: Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolíte portáre sácculum, neque peram, neque calceaménta: et néminem per viam salutavéritis. In quamcúmque domum intravéritis, primum dícite: Pax huic dómui: et si ibi fúerit fílius pacis, requiéscet super illum pax vestra: sin autem, ad vos revertétur. In eádem autem domo manéte, edéntes et bibéntes quæ apud illos sunt: dignus est enim operárius mercéde sua. Nolíte transíre de domo in domum. Et in quamcúmque civitátem intravéritis, et suscéperint vos, manducáte quæ apponúntur vobis: et curáte infírmos qui in illa sunt, et dícite illis: Appropinquávit in vos regnum Dei.

**Antiphona ad Offertorium**

**Ps. 88, 25**

Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus. **(T.P. Allelúja.)**

**Secreta**

Grata tibi sint, quásumus, Dómine, obláta múnera: quibus beáti Augustíni Confessóris tui atque Pontíficis mérita venerámur; et nostræ páriter recólimus insígnia libertátis et vitæ. Per Dóminum.

**Pro S. Philippo**

**Secreta**

Sacrifíciis præséntibus, quásumus, Dómine, inténde placátus: et præsta; ut illo nos igne Spíritus Sanctus inflámmet, quo beáti Philíppi cor mirabíliter penetrávit. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem.

**Antiphona ad Communionem**

Matth. 24, 46-47

Beatus servus quem, cum vénérerit dóminus, invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum. (T.P. Allelúja.)

**Postcommunio**

Sancta tua, quásumus, Dómine, quæ pro beáti Augustíni Confessóris tui atque Pontíficis sollemnitáte libávimus, nos fóveant: quibus júgiter satiémur et semper desiderémus expléri. Per Dóminum.

**Pro S. Philippo**

**Postcommunio**

Caeléstibus, Dómine, pasti delíciis: quásumus; ut beáti Philíppi Confessóris tui méritis et imitatióne semper éadem, per quæ veráciter vívimus, appetámus. Per Dóminum.

**Die 28 Maji**

**B. MARGARITÆ POLE MART. NON VIRG.**

III classis

**Antiphona ad Introitum**

Ps. 118, 46-47

Loquébar de testimóniis tuis in conspéctu regum, et non confundébar: et meditábar in mandátis tuis, quæ diléxi nimis. (T.P. Allelúja, allelúja.) Ps. *ibid.*, 1  
Beáti immaculáti in via: qui ábulant in lege Dómini. V. Glória Patri.

**Oratio**

Deus, qui beátæ Margarítæ vitam virtúte spectábilem martýrii coróna decorásti: ejus méritis et intercessióne concéde; ut, nullis detérriti adversitátibus, vitam nostram ac mortem tuo servitio dedicáre valeámus. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccli. 51, 1-8 et 12

Confitébor tibi, Dómine rex, et collaudábo te Deum salvatórem meum. Confitébor nómini tuo: quóniam adjútor, et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne, a láqueo linguæ iníquæ, et a lábiis operántium mendácium, et in conspéctu astántium factus es mihi adjútor. Et liberásti me secúndum multitúdinem misericórdiæ nóminis tui a rugiéntibus, præparátis ad escam, de mánibus quæréntium ániam meam, et de portis tribulatiónum, quæ circumdedérunt me: a pressúra flammæ, quæ circúmdedit me, et in médio ignis non sum æstuáta: de altitúdine ventris íferi, et a lingua coinquináta, et a verbo mendáci, a rege iníquo, et a lingua iniústa: laudábit usque ad mortem ánima

mea Dóminum: quóniam éruis sustinéntes te, et líberas eos de mánibus géntium,  
Dómine Deus noster.

**Graduale**

**Ps 44, 8**

Dilexísti justítam, et odísti iniquitátem. **V.** Proptérea unxit te Deus, Deus tuus,  
óleo lætítiæ.

Allelúja, allelúja. **Ibid., 5** Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspero  
procéde, et regna. Allelúja.

**Tempore autem Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:**

Allelúja, allelúja. **V. Ps. 44, 5** Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspero  
procéde, et regna. Allelúja. **V.** Propter veritátem, et mansuetúdinem, et  
justítam: et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. Allelúja.

**+ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Mattháeum**

**Matt 13:44-52**

In illo tempore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum  
cælórum thesáuro abscónrito in agro: quem qui invénit homo, abscóndit, et præ  
gáudio illíus vadit, et vendit univérsa, quæ habet, et emit agrum illum. Iterum  
símile est regnum cælórum hómini negotiatóri, quærénti bonas margarítas.  
Invénta autem una pretiosa margaríta, ábiit, et vénidit ómnia, quæ hábuit, et  
emit eam. Iterum símile est regnum cælórum sagénæ, missæ in mare, et ex omni  
género píscium cóngreganti. Quam, cum impléta esset, educéntes, et secus littus  
sedéntes, elegérunt bonos in vasa, malos autem foras misérunt. Sic erit in  
consummatiōne sǽculi: exibunt Angeli, et separábunt malos de médio justórum,  
et mittent eos in camínus ignis: ibi erit fletus et stridor déntium. Intellexístis  
hæc ómnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno  
cælórum símilis est hómini patrifamílias, qui profert de thesáuro suo nova et  
vétera.

**Antiphona ad Offertorium**

**Ps. 44, 3**

Diffúsa est grátia in lábiis tuis, proptérea benedíxit te Deus in æténum, et in  
sǽculum sǽculi. **(T.P. Allelúja.)**

**Secreta**

Súscipe, Dómine, múnera, quæ in beátæ Margarítæ Mártyris tuæ sollemnitáte  
deférimus: cujus nos confídimus patrocínio liberári. Per Dóminum.

**Antiphona ad Communionem**

**Ps 118:161-162**

Príncipes persecúti sunt me gratis, et a verbis tuis formidávit cor meum: lætábor  
ego super elóquia tua, quasi qui invénit spólia multa. **(T.P. Allelúja.)**

### **Postcommunio**

Auxiliéntur nobis, Dómine, sumpta mystéria: et, intercedénte beáta Margaríta Mártyre tua, sempitérna fáciant protectióne gaudére. Per Dóminum.

### **Die 30 Maii S. ELEUTHERII PAPÆ ET MARTYRIS**

#### **III classis**

**Missa** Si diligis me, de Communi unius Summi Pontificis.

#### **Oratio**

Gregem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde: et per beátum Eleuthérium Mártyrem tuum atque Summum Pontíficem, perpétua protectióne custódi; quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

**Et fit commemoratio S. Felicis I Papæ et Martýris:**

#### **Oratio**

Deus, qui Ecclésiam tuam in apostólicæ petræ soliditáte fundátam, ab infernárum éruis terróre portárum: præsta, quásumus, ut intercedénte beáto Felíce Mártyre tuo atque Summo Pontífice, in tua veritáte persístens, contínua securitáte muniátur. Per Dóminum.

#### **Secreta**

Oblátis munéribus, quásumus, Dómine, Ecclésiam tuam benígnus illúmina: ut, et gregis tui profíciat ubíque succéssus, et grati fiant nómini tuo, te gubernánte, pastóres. Per Dóminum.

**Pro S. Felice**

**Secreta**

Múnera, quæ tibi, Dómine, lætántes offérimus, súscipe benígnus, et præsta: ut intercedénte beáto Felíce, Ecclésia tua et fídei integrítate lætétur, et téporum tranquillítate semper exsúltet. Per Dóminum.

### **Postcommunio**

Refectióne sancta enutrítam gubérna, quásumus, Dómine, tuam placátus Ecclésiam: ut poténti moderatióne dirécta, et increménta libertátis accípiat et in religiónis integrítate persístat. Per Dóminum.

**Pro S. Felice**

**Postcommunio**

Multíplica, quásumus, Dómine, in Ecclésia tua spíritum grátiæ, quem dedísti: ut beáti Felícis Mártyris tui atque Summi Pontíficis deprecatione nec pastóri obediéntia gregis nec gregi desit cura pastóris. Per Dóminum.

**Die 9 Junii**  
**IN TRANSLATIONE S. EDMUNDI EP. ET CONF.**  
**III classis**  
**Antiphona ad Introitum**

Gaudeámus omnes in Dómino, diem festum celebráentes sub honóre beáti Edmúndi: de cuius sollemnitáte gaudent Angeli, et colláudant Fílium Dei. **Ps. 32,**  
**1** Exsultáte, justi, in Dómino: rectos decet collaudátio. **V.** Glória Patri.

**Oratio**

Deus, qui nos concédis beáti Edmúndi Confessóris tui atque Pontíficis Translatiónem cólere: da nobis ejus méritis et prémios; ut a peccáti servítute solúti, ad regni cælestis gáudia transíre valeámus. Per Dóminum.

**Et fit commemoratio Ss. Primi et Feliciani Martýrum.:**

**Oratio**

Fac nos, quæsumus, Dómine, sanctórum Mártyrum tuórum Primi et Feliciáni semper festa sectári: quorum suffrágis protectiónis tuæ dona sentiámus. Per Dóminum.

**Léctio libri Sapiéntiæ**

**Eccli. 50, 1, 4-11**

Ecce sacérdos magnus, qui in vita sua suffúlsit domum, et in diébus suis corroborávit templum. Qui curávit gentem suam et liberávit eam a perditióne. Qui præváluit amplificáre civitátem, qui adéptus est glóriam in conversatióne gentis, et ingréssum domus et átrii amplificávit. Quasi stella matutína in médio nébulæ, et quasi luna plena in diébus suis lucet, et quasi sol refúlgens, sic ille effúlsit in templo Dei. Quasi arcus refúlgens inter nébulas glóriæ, et quasi flos rosárum in diébus vernis, et quasi lília quæ sunt in tránsitu aquæ, et quasi thus ardens in igne. Quasi vas auri sólidum ornátum omni lápide pretioso. Quasi olíva púllulans et cypréssus in altitúdinem se extóllens. In accipiéndo ipsum stolam glóriæ, et vestíri eum in consummatiónem virtútis.

**Graduale**

**Ps. 20, 4-5**

Dómine, prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretioso. **V.** Vitam pétiit a te, et tribuísti ei longitúdinem diérum in sǽculum sǽculi.

Allelúja, allelúja. **V.** Hic Edmúndus pauper et módicus cælum dives ingréditur, hymnis cælestibus honorátur. Allelúja.

**Tempore Pasch. loco Gradualis dicitur:**

Allelúja, allelúja. **V.** **Ps. 109** Tu es sacérdos in æténum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja. **V.** Hic est sacérdos, quem coronávit Dóminus. Allelúja.

+ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Mattháeum  
Matth. 25, 14-23

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo péregre proficíscens, vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talénta, álii autem duo, álii vero unum, unicuíque secúndum própriam virtútem, et proféctus est statim. Abiit autem, qui quinque talénta accéperat, et operátus est in eis, et lucrátus est ália quinque. Simíliter et qui duo accéperat, lucrátus est ália duo. Qui autem unum accéperat, ábiens fodit in terram, et abscóndit pecúniam dómini sui. Post multum vero téporis venit dóminus servórum illórum, et pósuit ratióñem cum eis. Et accédens qui quinque talénta accéperat, óbtulit ália quinque talénta, dicens: Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce, ália quinque superlucrátus sum. Ait illi dóminus ejus: Euge, serve bone et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constitúam: intra in gáudium dómini tui. Accéssit autem et qui duo talénta accéperat, et ait: Dómine, duo talénta tradidísti mihi, ecce, ália duo lucrátus sum. Ait illi dóminus ejus: Euge, serve bone et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constitúam: intra in gáudium dómini tui.

Antiphona ad Offertorium  
Ps. 88, 25

Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

**Secreta**

Hæc múnera, Dómine, in benedictióne sanctífica, et præsta; ut beáti Edmúndi Confessóris tui atque Pontíficis intercessióne, nobis salutária reddántur. Per Dóminum.

<b>Pro Ss. Martyribus</b>	<b>Secreta</b>
Fiat tibi, quásumus, Dómine, hóstia sacránda placábilis, pretiósi celebritáte martýrii: quæ et peccáta nostra puríficet, et tuórum tibi vota concíliet famulórum. Per Dóminum.	

Antiphona ad Communionem  
Matth. 24, 46-47

Beátus servus quem, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constitúet eum.

**Postcommunio**

Refécti, Dómine, córporis et sanguinis tui mystériis te súpplices exorámus: ut, sicut beátum Edmúndum Confessórem tuum atque Pontíficem de hoc sáculo ad

cælestem glóriam transtulísti; ita nos ejus Translatiónem recoléntes, ejúsdem gloriæ partícipes esse mereámur: Qui vivis.

**Pro Ss. Martyribus**

**Postcommunio**

Quásumus, omnípotens Deus: ut, sanctórum Mártyrum tuórum Primi et Feliciáni cælestibus mystériis celebráta solémnitas, indulgéntiam nobis tuæ propitiatiónis acquírat. Per Dóminum.

**Die 22 Junii**

**S. ALBANI**

**Britanniæ Protomartyris**

**III classis**

**Antiphona ad Introitum**

**Ps. 20, 2-3**

In virtúte tua, Dómine, lætábitur justus: et super salutáre tuum exsultábit veheménter: desidérium ánimæ ejus tribuísti ei. **Ps. ibid., 4** Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcéinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretiósso. **V.** Glória Patri.

**Oratio**

Deus, qui hunc diem beáti Albáni martýrio consecrásti: tríbue, quásumus; ut, cuius ánnuo gratulámur offício, ejus contínuo foveámur auxílio. Per Dóminum.

**Et fit commemoratio S. Paulini Ep. et Conf.:**

**Oratio**

Deus, qui ómnia pro te in hoc século relinquéntibus céntuplum in futúro et vitam ætérnam promisísti: concéde propítius; ut, sancti Pontíficis Paulíni vestígii inhæréntes, valeámus terréna despícere et sola cælestia desideráre. Qui vivis.

**Léctio libri Sapiéntiæ**

**Sap. 10, 10-14**

Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum: honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus. In fraude circumveniéntium illum áffuit illi, et honéstum fecit illum. Custodívit illum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum, et certámen forte dedit illi, ut vínceret, et sciret quóniam ómnium poténtior est sapiéntia. Hæc vénditum justum non derelíquit, sed a peccatóribus liberávit eum; descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit illum, donec afférret illi sceptrum regni, et poténtiam advérsus eos qui eum deprimébant: et mendáces osténdit qui maculavérunt illum: et dedit illi claritatēm ætérnam Dóminus Deus noster.

## **Graduale**

**Ps. 111, 1-2**

Beátus vir qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. **V.** Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur.

Allelúja, allelúja. **V. Ps. 20, 4** Posuísti, Dómine, super caput ejus corónam de lápide pretióso. Allelúja.

**+ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Mattéum**

**Matth. 16, 24-27**

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Si quis vult post me venire, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Qui enim volúerit ániam suam salvam fácer, perdet eam: qui autem perdíderit ániam suam propter me, invéniet eam. Quid enim prodest hómini, si mundum univérsum lucrétur, ánime vero suæ detriméntum patiátur? Aut quam dabit homo commutatióne pro ánima sua? Fílius enim hóminis ventúrus est in glória Patris sui cum Angelis suis: et tunc reddet unicuíque secúndum ópera ejus.

**Antiphona ad Offertorium**

**Ps. 8, 6-7**

Glória et honóre coronásti eum: et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, Dómine.

**Secreta**

Sicut in beáti Albáni Mártyris tui veneratióne te mirábilem prædicámus: sic apud cleméntiam tuam, Dómine, per hæc piæ placatiónis offícia pro nobis, quásumus, ipse pius intervénтор exsístat. Per Dóminum.

**Pro S. Paulino**

**Secreta**

Da nobis, Dómine, perféctæ caritatis sacrificíum exémplo sancti Pontíficis Paulíni cum altáris oblatiōne coniúngere: et beneficéntiæ stúdio sempitérnam misericórdiam promeréri. Per Dóminum.

**Antiphona ad Communionem**

**Matth. 16, 24**

Qui vult venire post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

**Postcommunio**

Ut tua nos, Dómine, sacraménta purgent a crímine, et in caritatis tuæ fervóre consérvent: sanctam majestátem tuam, quásumus, beátus Martýr Albánus semper exóret. Per Dóminum.

**Pro S. Paulino**

**Postcommunio**

Tríbue nobis per hæc sancta, Dómine, illum pietatis et humilitatis afféctum quem ex hoc divino fonte hausit sanctus Póntifex tuus Paulínus: et ipsius intercessióne in omnes qui te deprecántur gratiæ tuæ divítias benígnus effúnde. Per Dóminum.

**Die 27 Junii  
S. ETHELDREDÆ VIRGINIS**

**III classis**

**Missa** Dilexísti, **de Comm. Virg.** 3 loco, præter Orationem sequentem:

**Oratio**

Deus, qui nos beátæ Etheldredæ Vírginis tuæ ánnua sollemnitáte létificas: concéde propítius; ut, cujus integritatís irradiámur exémplis, ejus méritis adjuvémur. Per Dóminum.

**Secreta**

Accépta tibi sit, Dómine, sacratæ plebis oblátio pro tuórum honóre sanctórum: quorum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxílium. Per Dóminum.

**Postcommunio**

Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus, quásumus, semper interventiόne nos réfove, cujus sollémnia celebrámus. Per Dóminum.

**Die 28 Junii  
IN DEDICATIONE ECCLESIAE CATHEDRALIS**

**I classis**

**Missa** Terríbilis, **ut in Comm. Dedic. Eccl.**

**Die 9 Julii  
SS. JOANNIS FISHER EP. ET THOMÆ MORE MARTYRUM**

**I classis**

**Antiphona ad Introitum**

**Ps. 33, 20-21**

Multæ tribulatiōnes justórum, et de his ómnibus liberávit eos Dóminus: Dóminus custódit ómnia ossa eórum: unum ex his non conterétur. **Ps. ibid., 2** Benedíc me Dóminum in omni témpore: semper laus ejus in ore meo. **V.** Glória Patri.

### Oratio

Deus, qui beátos Mártyres tuos Joánnem et Thomam veræ fidei et Románæ Ecclésiæ principátus propugnatóres inter Anglos suscitásti: eórum méritis ac précibus concéde; ut ejúsdem fídei professióne unum omnes in Christo efficiámur et simus: Qui tecum.

### Léctio libri Machabæórum

#### 2 Mach. 6, 18-28

In diébus illis: Eleázarus, unus de primóribus scribárum, vir ætátē provéctus et vultu decórus, apérto ore hians compellebátur carnem porcínam manducáre. At ille gloriosíssimam mortem magis quam odíbilem vitam compléctens, voluntárie præíbat ad supplícium. Intuens autem quemádmodum oportéret accédere, patiénter sústinens, destinávit non admíttere illícita propter vitæ amórem. Hi autem qui astábant, iníqua miseratióne commóti, propter antíquam viri amicítiam, tolléntes eum secréto, rogábant afférri carnes quibus vesci ei licébat, ut simularétur manducásse, sicut rex imperáverat, de sacrificii cárnis, ut hoc facto a morte liberarétur: et propter véterem viri amicítiam hanc in eo faciébant humanitátem. At ille cogitáre cœpit ætátis [ac senectútis] suæ eminéntiam dignam, et ingénitæ nobilitatis canítiem, atque a púero óptimæ conversatiónis actus: et secúndum sanctæ et a Deo cónditæ legis constitúta, respóndit cito, dicens præmítti se velle in inférnum. Non enim ætáti nostræ dignum est, inquit, fingere, ut multi adolescéntium arbitrántes Eleázarum nonagínta annórum transísse ad vitam alienigenárum, et ipsi propter meam simulatióñem, et propter módicum corruptíbilis vitæ tempus decipiántur; et per hoc máculam et exsecratióñem meæ senectúti conquíram. Nam, etsi in præsénti témpore supplíciis hóminum erípiar, sed manum Omnipoténtis nec vivus nec defúnctus effúgiam. Quam ob rem fórtiter vita excedéndo, senectúte quidem dignus apparébo, adolescéntibus autem exémplum forte relínquam, si prompto ánimo ac fórtiter pro gravíssimis ac sanctíssimis lágibus honésta morte perfúngar. His dictis, conféstim ad supplícium trahebátur.

### Graduale

#### Ps. 33, 6, 16

Accédite ad eum et illuminámini: et fácies vestræ non confundéntur. **V.** Oculi Dómini super justos: et aures ejus in preces eórum.

Allelúja, allelúja. **V. Joann. 17, 3** Hæc est vita ætérrna, ut cognóscant te solum Deum verum, et quem misísti, Jesum Christum. Allelúja.

### In Missis votivis T. P. omittitur Graduale et ejus loco dicitur:

Allelúja, allelúja. **V. Joann. 17, 3** Hæc est vita ætérrna, ut cognóscant te solum Deum verum, et quem misísti, Jesum Christum. Allelúja. **V. Ps. 33, 6** Accédite ad eum et illuminámini: et fácies vestræ non confundéntur. Allelúja.

**Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur:**

**Tractus**

**Ps. 125, 5-6**

Qui séminant in lácrimis, in exsultatióne metent. **V.** Eúntes ibant et flebant, mitténtes sémina sua. **V.** Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, portántes manípulos suos.

**+ Seqéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem**

**Joann. 10, 23-30**

In illo témpore: Ambulábant Jesus in templo in pórticu Salomónis. Circumdedérunt ergo eum Judáei, et dicébant ei: Quoúsque ánimam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam. Respondit eis Jesus: Loquor vobis, et non créditis. Opera quæ ego fácio in nómine Patris mei, hæc testimónium pérhibent de me. Sed vos non créditis, quia non estis de [ex] óvibus meis. Oves meæ vocem meam áudiunt et ego cognósco eas, et sequúntur me: et ego vitam ætérnam do eis, et non peribunt in ætérnum, et non rápiet eas quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi, majus ómnibus est: et nemo potest rápere de manu Patris mei. Ego et Pater unum sumus. Credo.

**Antiphona ad Offertorium**

**Ps. 67, 36**

Mirábilis Deus in Sanctis suis: Deus Israël, ipse dabit virtútem et fortitúdinem plebi suæ: benedíctus Deus.

**Secreta**

Oblatióibus nostris, quásumus, Dómine, placátus inténde: et, Mártyrum tuórum interveniénte suffrágio, grátiæ tuæ nobis dona concéde. Per Dóminum.

**Antiphona ad Communionem**

**Joann. 10, 27-28**

Oves meæ vocem meam áudiunt, et ego cognósco eas, et sequúntur me: et ego vitam ætérnam do eis, et non peribunt in ætérnum.

**Postcommunio**

Cælésti convívio refécti, quásumus, Dómine Deus noster: ut, intercedéntibus beátis Martýribus tuis Joánne et Thoma, ad eórum consórtium perveníre mereámur. Per Dóminum.

## **MISSA VOTIVA DE S. JOANNE FISHER EP. ET MART.**

**Missa** Státuit, **de Communi** unius Martýris 1 loco, **cum orationibus** ut infra:

### Oratio

Deus, qui beáto Pontífici tuo Joánni pro veritáte et justítia magno ánimo vitam profúndere tribuísti: da nobis ejus intercessióne et exémplo vitam nostram pro Christo in hoc mundo pérdere, ut eam in cælo inveníre valeámus. Per eúndem Dóminum.

### Secreta

Clementíssime Deus, múnera hæc tua benedictióne perfúnde, et nos in ea fide confírma quam beátus Joánnes Martýr et Póntifex tuus effúso sanguine proclaimávit. Per Dóminum.

### Postcommunio

Spíritum, Dómine, fortitúdinis hæc nobis tríbuat mensa cælestis, quæ beáti Joánnis Mártyris tui atque Pontíficis vitam pro Ecclésiæ honóre júgiter áluit ad victóriam. Per Dóminum.

## MISSA VOTIVA DE S. THOMA MARTYRE

### Antiphona ad Introitum

Ps. 20, 2-3

In virtúte tua, Dómine, lætabitur justus: et super salutáre tuum exsultábit veheménter: desidérium ánimæ ejus tribuísti ei. **Ps. ibid., 4** Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretiósso. **V.** Glória Patri.

### Oratio

Deus, qui beáto Thomæ Mártyri inter sǽculi illécebras et cárceris mortísque dolóres hílari fortíque ánimo crucem tuam amplécti tribuísti: concéde, quásumus, ejus intercessióne et exémplo; ut, pro fide et justítia alacríter decertántes, ad ætérrna gáudia læti perveníre mereámur. Qui vivis.

### Léctio libri Machabæórum

**2 Mach. 6, 18-28**

In diébus illis: Eleázarus, unus de primóribus scribárum, vir aetáte provéctus et vultu decórus, apérto ore hians compellebátur carnem porcínam manducáre. At ille gloriosíssimam mortem magis quam odíbilem vitam compléctens, voluntárie præíbat ad supplícium. Intuens autem quemádmodum oportéret accédere, patiénter sústinen, destinávit non admíttere illícita propter vitæ amórem. Hi autem qui astábant, iníqua miseratióne commóti, propter antíquam viri amicítiam, tolléntes eum secréto, rogábant afférri carnes quibus vesci ei licébat, ut simularétur manducásse, sicut rex imperáverat, de sacrificii cárñibus, ut hoc

facto a morte liberaréatur: et propter véterem viri amicítiam hanc in eo faciébant humanitátem. At ille cogitáre cœpit ætátis [ac senectútis] suæ eminéntiam dignam, et ingénitæ nobilitátis canítiem, atque a púero óptimæ conversatiónis actus: et secúndum sanctæ et a Deo cónditæ legis constitúta, respóndit cito, dicens præmítti se velle in inférnum. Non enim ætáti nostræ dignum est, inquit, fíngere, ut multi adolescéntium arbitrántes Eleázarum nonagínta annórum transísse ad vitam alienigenárum, et ipsi propter meam simulatióñem, et propter módicum corruptíbilis vitæ tempus decipiántur; et per hoc máculam et exsecratióñem meæ senectúti conquíram. Nam, etsi in præsénti témpore supplíciis hóminum erípiar, sed manum Omnipoténtis nec vivus nec defúnctus effúgiam. Quam ob rem fórtiter vita excedéndo, senectúte quidem dignus apparébo, adolescéntibus autem exémplum forte relínquam, si prompto ánimo ac fórtiter pro gravíssimis ac sanctíssimis lágibus honésta morte perfúngar. His dictis, conféstim ad supplícium trahebátur.

### Graduale

Ps. 111, 1-2

Beátus vir qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. **V.** Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur.

Allelúja, allelúja. **V.** **Ps. 20, 4** Posuísti, Dómine, super caput ejus corónam de lápide pretióso. Allelúja.

+ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Mattéum  
Matth. 10, 34-42

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte arbitrári quia pacem vénerim míttere in terram: non veni pacem míttere, sed gládium. Veni enim separáre hóminem advérsus patrem suum, et filiam advérsus matrem suam, et nurum advérsus socrum suam: et inimíci hóminis, doméstici ejus. Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus: et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus. Et qui non áccipit crucem suam et séquitur me, non est me dignus. Qui invénit ániam suam, perdet illam: et qui perdíderit ániam suam propter me, invéniet eam. Qui rácipit vos, me rácipit: et qui me rácipit, rácipit eum qui me misit. Qui rácipit prophétam in nómíne prophétæ, mercédem prophétæ accípiet: et qui rácipit justum in nómíne justi, mercédem justi accípiet. Et quicúmque potum déderit uni ex mínimis istis cálicem aquæ frígidae tantum in nómíne discípuli: amen dico vobis, non perdet mercédem suam.

Antiphona ad Offertorium  
Ps. 8, 6-7

Glória et honóre coronásti eum: et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, Dómine.

### **Secreta**

Hoc sacrificium redemptiōnis nostrae, quāsumus, omnīpotens Deus, clemēnter respice: et, intercedēnte beāto Thoma Mártyre tuo, pro hac família tua placátus assúme. Per Dóminum.

### **Antiphona ad Communionem**

**Matth. 16, 24**

Qui vult venire post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

### **Postcommunio**

Sint tibi, omnīpotens Deus, grata nostrae servitūtis obséquia: ut hæc sancta quæ súmpsimus, intercedēnte beāto Thoma Mártyre tuo, nobis ad capessénda pérpetis vitæ præmia profícere sentiámus. Per Dóminum.

### **Die 8 Augusti**

### **S. OSWALDI REGIS, MARTYRIS**

**III classis**

### **Antiphona ad Introitum**

**Ps. 20, 2-3**

In virtúte tua, Dómine, lètabitur justus: et super salutare tuum exsultabit vehemēnter: desidérium ánimæ ejus tribuísti ei. **Ps. ibid., 4** Quóniam prævenísti eum in benedictiōibus dulcéinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretiósso. **V.** Glória Patri.

### **Oratio**

Omnīpotens sempitérne Deus, qui hujus diéi jucúndam sanctámque lètitiam in beáti Oswálidi regis martýrio consecrásti: da córdibus nostris tuæ caritatis augmémentum; ut, cuius gloriósum fídei certámen admirámur, constántiam ad mortem imitémur. Per Dóminum.

### **Et fit commemoratio S. Joannis Mariæ Vianney Confessoris.:**

### **Oratio**

Omnīpotens et miséricors Deus, qui sanctum Joánnem Maríam pastoráli stúdio et jugi oratiōnis ac pæniténtiæ ardóre mirábilem effecísti: da, quāsumus; ut, ejus exémplu et intercessiōne, áimas fratrū lucrári Christo, et cum eis ætérmam glóriam cónsequi valeámus. Per eúndem Dóminum.

**Deinde, commemoratio Ss. Cyriaci, Largi et Smaragdi Martýrum.:**

**Oratio**

Deus, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum Cyríaci, Largi et Smarágdi solemnítate lætíficas: concéde propítius; ut, quorum natalícia cólimus, virtútem quoque passiónis imitémur. Per Dóminum.

**Léctio libri Sapiéntiæ**

**Sap. 10, 10-14**

Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum: honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus. In fraude circumveniéntium illum áffuit illi, et honéstum fecit illum. Custodívit illum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum, et certámen forte dedit illi, ut vínceret, et sciret quóniam ómnium poténtior est sapiéntia. Hæc vénditum justum non derelíquit, sed a peccatóribus liberávit eum: descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit illum, donec afférret illi sceptrum regni, et poténtiam advérsus eos qui eum deprimébant: et mendáces osténdit qui maculavérunt illum: et dedit illi claritátem ætérnam Dóminus Deus noster.

**Graduale**

**Ps. 111, 1-2**

Beátus vir qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. **V.** Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur.

Allelúja, allelúja. **V.** **Ps. 20, 4** Posuísti, Dómine, super caput ejus corónam de lápide pretiósso. Allelúja.

**+ Sequéntia sancti Evángelii secúndum Mattáeum**

**Matth. 16, 24-27**

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam: qui autem perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam. Quid enim prodest hómini, si mundum univérsum lucrétur, ánimæ vero suæ detriméntum patiátur? Aut quam dabit homo commutatióñem pro ánima sua? Fílius enim hóminis ventúrus est in glória Patris sui cum Angelis suis: et tunc reddet unicuíque secúndum ópera ejus.

**Antiphona ad Offertorium**

**Ps. 8, 6-7**

Glória et honóre coronásti eum: et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, Dómine.

**Secreta**

Munéribus nostris, quæsumus, Dómine, precibúsque suscéptis: et cælestibus nos munda mystériis, et cleménter exáudi. Per Dóminum.

**Pro S. Joannis**

**Secreta**

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratióne Sanctórum: quibus nos et præsentibus éxui malis confídimus, et futúris. Per Dóminum.

**Pro Ss. Martyribus**

**Secreta**

Accépta sit in conspéctu tuo, Dómine, nostra devótio: et eórum nobis fiat supplicatióne salutáris, pro quorum solemnité defértur. Per Dóminum.

**Antiphona ad Communionem**

**Matth. 16, 24**

Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

**Postcommunio**

Da, quæsumus, Dómine Deus noster: ut, sicut tuórum commemoratióne Sanctórum temporáli gratulámur offício, ita perpétuo lætémur aspéctu. Per Dóminum.

**Pro S. Joannis**

**Postcommunio**

Refecti cibo potúque cælesti, Deus noster, te súpplices exorámus: ut, in cuius hæc commemoratióne percépimus, ejus muniámur et præcibus. Per Dóminum.

**Pro Ss. Martyribus**

**Postcommunio**

Refécti participatióne múnneris sacri, quæsumus, Dómine Deus noster: ut, cuius exséquimur cultum, intercedéntibus sanctis Martýribus tuis Cyríaco, Largo et Smarágdo, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

**Die 11 Augusti  
S. GERMANI EPISCOPI ET CONFESSORIS**

III classis

**Missa** Sacerdótes tui, de **Comm. Conf. Pont. 2 loco.**

**Oratio**

Exáudi, quæsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Germáni Confessóris tui atque Pontíficis sollemnité deférimus: et, qui tibi digne méritum famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

**Et fit commemoratio Ss. Tiburtii et Susannæ Martyrum.:**

**Oratio**

Sanctórum Mártyrum tuórum Tibúrtii et Susánnæ nos, Dómine, fóveant continuáta præsidia: quia non désinis propítius intuéri quos tálibus auxíliis concésseris adjuvári. Per Dóminum.

**Secreta**

Sancti Germáni Confessóris tui atque Pontíficis, quásumus, Dómine, ánnua sollémnitas pietáti tuæ nos reddat accéptos: ut, per hæc piæ placatiónis offícia, et illum beáta retribútio comitétur, et nobis grátiae tuæ dona concílet. Per Dóminum.

**Pro Ss. Martyribus**

**Secreta**

Adésto, Dómine, précibus pópuli tui, adésto munéribus: ut, quæ sacris sunt obláta mystériis, tuórum tibi pláceant intercessióne Sanctórum. Per Dóminum.

**Postcommunio**

Deus, fidélium remunerátor animárum: præsta; ut beáti Germáni Confessóris tui atque Pontíficis, cuius venerándam celebrámus festivitátem, précibus indulgentiam consequámur. Per Dóminum.

**Pro Ss. Martyribus**

**Postcommunio**

Súmpsimus, Dómine, pignus redemptiónis ætérnæ: quod sit nobis, quásumus, interveniéntibus sanctis Martýribus tuis, vitæ præséntis auxílium páriter et futúræ. Per Dóminum.

**Die 19 Septembris  
S. THEODORI EPISCOPI ET CONFESSORIS**

**III classis**

**Missa** Státuit, **de Comm. Conf. Pont.** 1 loco.

**Oratio**

Da, quásumus, omnípotens Deus: ut beáti Theodóri Confessóris tui atque Pontíficis veneránta sollémnitas, et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per Dóminum.

**Et fit commemoratio Ss. Januarii et Sociorum Martýrum.:**

**Oratio**

Deus, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum Januárii et Sociórum ejus solemnitáte létificas: concéde propítius; ut, quorum gaudémus mentis, accendámur exémplis. Per Dóminum.

### **Secreta**

Sancti tui, quæsumus, Dómine, nos ubique lætificent: ut, dum eorum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

### **Pro Ss. Martyribus**

### **Secreta**

Oblátis, quæsumus, Dómine, placáre munéribus: et, intercedéntibus sanctis Martýribus tuis Januário et Sóciis ejus, a cunctis nos défende periculis. Per Dóminum.

### **Postcommunio**

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Theodóro Confessóre tuo atque Pontífice, benefícia potióra sumámus. Per Dóminum.

### **Pro Ss. Martyribus**

### **Postcommunio**

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crímine: et, intercedéntibus sanctis Martýribus tuis Januário et Sóciis ejus, cælestis remédii fáciat esse consórtes. Per Dóminum.

### **Die 13 Octobris**

### **S. EDUARDI REGIS, CONFESSORIS**

**II classis [in Civ. West. I classis]**

Missa ut in Missali eadem die.

### **Die 22 Octobris**

### **S. THOMÆ HEREFORDIENSIS EPISCOPI ET CONFESSORIS**

**III classis**

**Missa Sacerdótes tui, de Comm. Conf. Pont., præter Orationem sequentem:**

**Oratio**

Deus, qui Ecclésiam tuam beáti Pontíficis Thomæ angélica puritáte et virtútum glória decorásti: concéde nobis fámulis tuis; ut, ejus suffragántibus méritis, Angelórum cum ipso mereámur agmínibus sociári. Per Dóminum.

### **Secreta**

Sancti Thomæ Confessóris tui atque Pontíficis, quæsumus, Dómine, ánnua sollémnitas pietáti tuæ nos reddat accéptos: ut, per hæc piæ placatiónis offícia, et illum beáta retribúcio comítetur, et nobis grátiæ tuæ dona concílet. Per Dóminum.

### Postcommunio

Deus, fidélium remunerátor animárum: præsta; ut beáti Thomæ Confessóris tui atque Pontíficis, cuius venerándam celebrámus festivitátem, précibus indulgentiam consequámur. Per Dóminum.

### Die 29 Octobris BB. MARTYRUM COLLEGII DUACENSIS III classis Antiphona ad Introitum Ps. 78, 1

Deus, venérunt gentes in hereditátem tuam, polluérunt templum sanctum tuum: posuérunt Jerúsalem in pomórum custódiam. **Ps. ibid., 2** Posuérunt morticína servórum tuórum escas volatílibus cæli: carnes sanctórum tuórum béstii terræ.  
**V.** Glória Patri.

### Oratio

Excita in nobis, Dómine, Spíritum cui beáti Mártyres tui Duacénses serviérunt: ut, eódem nos repléti, studeámus amáre quod amavérunt, et ópere exercére, quod docuérunt. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem.

### Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebráeos Hebr. 12, 1-10

Fratres: Tantam habéntes impósitam nubem téstium, deponéntes omne pondus, et circúmstans nos peccátum, per patiéntiam currámus ad propósitum nobis certámen: aspiciéntes in auctórem fídei et consummatórem Jesum, qui propósito sibi gáudio sustínuit crucem, confusióne contémpta, atque in déxtera sedis Dei sedet. Recogítáte enim eum qui talem sustínuit a peccatóribus advérsum semetípsum contradiccióne: ut ne fatigémini, ánimes vestris deficiéntes. Nondum enim usque ad ságuinem restitístis, advérsus peccátum repugnántes: et oblíti estis consolatiónis, quæ vobis tamquam filiis lóquitur, dicens: Fili mi, noli neglígere disciplínam Dómini, neque fatigéris dum ab eo argúeris. Quem enim díligit Dóminus, castígat: flagéllat autem omnem fílium quem récipit. In disciplína perseveráte. Tamquam filiis vobis offert se Deus: quis enim fílius quem non córripit pater? Quod si extra disciplínam estis, cuius partícipes facti sunt omnes: ergo adulteri et non fílii estis. Deinde patres quidem carnis nostræ eruditóres habúimus, et reverebámur eos: non multo magis obtemperábimus Patri spirítuum, et vivémus? Et illi quidem in témpore paucórum diérum secúndum voluntátem suam erudiébant nos: hic autem ad id quod útile est in recipiéndo sanctificacióne ejus.

## Graduale

Ps. 78, 3-4 et 8

Effudérunt sanguinem eórum tamquam aquam in circúitu Jerúsalem: et non erat qui sepelíret: facti sumus opprórium vicínis nostris, subsannátio et illúsio his qui in circúitu nostro sunt. **V.** Ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum, cito antícipent nos misericórdiæ tuæ.

Allelúja, allelúja. **V.** Nos autem póplus tuus et oves páscuæ tuæ, confitébimur tibi in sáculum. Allelúja.

+ Seqéntia sancti Evangélii secúndum Lucam  
**Luc. 12, 1-8**

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Atténdite a ferménto pharisæórum, quod est hypócrisis. Nihil autem opértum est, quod non revelétur: neque abscónditum, quod non sciátur. Quóniam quæ in ténebris dixístis, in lúmine dicéntur: et quod in aurem locúti estis in cubículis, prædicábitur in tectis. Dico autem vobis amícis meis: Ne terreámini ab his, qui occídunt corpus, et post hæc non habent ámplius quid fáciant. Osténdam autem vobis quem timeátis: timéte eum, qui postquam occíderit, habet potestátem míttere in gehénnam. Ita dico vobis: hunc timéte. Nonne quinque pásseres véneunt dipóndio, et unus ex illis non est in oblívione coram Deo? Sed et capílli cápitíis vestri omnes numeráti sunt. Nolíte ergo timére: multis passéribus pluris estis vos. Dico autem vobis: Omnis quicúmque conféssus fúerit me coram homínibus, et Fílius hóminis confitébitur illum coram Angelis Dei.

**Antiphona ad Offertorium**  
**Baruch. 3, 5-6**

Noli meminísse iniquitátum patrum nostrórum, sed meménto manus tuæ et nómínis tui in témpore isto: quia tu es Dóminus Deus noster, et laudábimus te, Dómine.

**Secreta**

Exáudi voces, Dómine, beatórum Mártyrum sub altáre tuum clamántium: et oblatiónibus nostris placátus inténde. Per Dóminum.

**Antiphona ad Communionem**

Sub altáre Dei audívi vocem occisórum dicéntium: Quare non deféndis sanguinem nostrum? Et accepérunt divínum respónsum: Adhuc sustinéte módicum tempus, donec impleátur númerus fratrum vestrórum.

**Postcommunio**

Caelésti convívio refécti, quásimus, Dómine Deus noster: ut intercedéntibus beátis Martýribus tuis, ad eorúmdem consórtium perveníre mereámur. Per Dóminum.

**Die 5 Novembris**  
**SACRARUM RELIQUIARUM**  
**quæ in Ecclesiis Archidioceseos asservantur**  
**III classis**  
**Missa ut in Appendice Missalis pro aliquibus locis eadem die.**

**Die 16 Novembris**  
**S. EDMUNDI EPISCOPI ET CONFESSORIS**  
**III classis**  
**Antiphona ad Introitum**

Gaudeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beáti Edmúndi: de cuius sollemnitáte gaudent Angeli, et colláudant Fílium Dei. **Ps. 32, 1** Exsultáte, justi, in Dómino: rectos decet collaudátio. **V.** Glória Patri.

**Oratio**

Deus, qui largífluæ bonitátis consílio Ecclésiam tuam beáti Edmúndi Confessóriss tui atque Pontíficis præcláræ vitæ méritis decorásti, et gloriósis lætificásti miráculis: concéde propítius nobis fámulis tuis; ut et ipsíus in mélius reformémur exémplis, et ab ómnibus ejus patrocínio protegámur advérsis. Per Dóminum.

**Et fit commemoratio S. Gertrudis Virginis.:**

**Oratio**

Deus, qui in corde beátæ Gertrúdis Vírginis jucúndam tibi mansiónem præparásti: ipsíus méritis et intercessióne cordis nostri máculas cleménter abstérge, et ejúsdem tríbue gaudére consórtio. Per Dóminum.

**Léctio libri Sapiéntiæ**  
**Eccli. 50, 1, 4-11**

Ecce sacérdos magnus, qui in vita sua suffúlsit domum, et in diébus suis corroborávit templum. Qui curávit gentem suam et liberávit eam a perditióne. Qui præváluit amplificáre civitátem, qui adéptus est glóriam in conversatióne gentis, et ingréssum domus et átrii amplificávit. Quasi stella matutína in médio nébulæ, et quasi luna plena in diébus suis lucet, et quasi sol refúlgens, sic ille effúlsit in templo Dei. Quasi arcus refúlgens inter nébulas glóriæ, et quasi flos rosárum in diébus vernis, et quasi lília quæ sunt in tránsitu aquæ, et quasi thus ardens in igne. Quasi vas auri sólidum ornátum omni lápide pretióso. Quasi olíva púllulans et cypréssus in altitúdinem se extóllens. In accipiéndo ipsum stolam glóriæ, et vestíri eum in consummatiónem virtútis.

## Graduale

Ps. 20, 4-5

Dómine, prævenísti eum in benedictiónibus dulcéinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. **V.** Vitam pétiit a te, et tribuísti ei longitúdinem diérum in sáculum sáculi.

Allelúja, allelúja. **V.** Hic Edmúndus pauper et módicus cælum dives ingréditur, hymnis cælestibus honorátur. Allelúja.

+ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Mattháeum

Matth. 25, 14-23

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo peregre proficíscens, vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talénta, álii autem duo, álii vero unum, unicuíque secúndum própriam virtútem, et proféctus est statim. Abiit autem, qui quinque talénta accéperat, et operátus est in eis, et lucrátus est ália quinque. Simíliter et qui duo accéperat, lucrátus est ália duo. Qui autem unum accéperat, ábiens fodit in terram, et abscóndit pecúniam dómini sui. Post multum vero téporis venit dóminus servórum illórum, et pósuit ratióнем cum eis. Et accédens qui quinque talénta accéperat, óbtulit ália quinque talénta, dicens: Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce, ália quinque superlucrátus sum. Ait illi dóminus ejus: Euge, serve bone et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constitúam: intra in gáudium dómini tui. Accéssit autem et qui duo talénta accéperat, et ait: Dómine, duo talénta tradidísti mihi, ecce, ália duo lucrátus sum. Ait illi dóminus ejus: Euge, serve bone et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constitúam: intra in gáudium dómini tui.

Antiphona ad Offertorium

Ps. 88, 25

Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

## Secreta

Beáti Edmúndi Confessóris tui atque Pontíficis, quásimus, Dómine, précibus múnera tibi offerénda compláceant, et obláta nobis profícient ad salútem. Per Dóminum.

Pro S. Gertrude

Secreta

Accépta tibi sit, Dómine, sacratæ plebis oblátio pro tuórum honóre Sanctórum: quorum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxílium. Per Dóminum.

Antiphona ad Communionem

Matth. 24, 46-47

Beátus servus quem, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constitúet eum.

### Postcommunio

Mentes nostras, quæsumus, Dómine, suscéptis róbora sacraméntis: ut, sicut eas beáti Edmúndi Confessóris tui atque Pontíficis novis dignátus es confortáre miráculis, sic étiam iuváre suffrágiiis, et illustráre dignérís exémplis. Per Dóminum.

**Pro S. Gertrude**

### Postcommunio

Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus, quæsumus, semper interventiόne nos réfove, cujus sollémnia celebrámus. Per Dóminum.

### Die 17 Novemboris

### S. HUGONIS EPISCOPI ET CONFESSORIS

#### III classis

**Missa** Sacerdótes, **de Comm. Conf. Pont. 2 loco, præter Orationes sequentes:**

#### Oratio

Deus, qui beátum Hugónem, Confessórem tuum atque Pontíficem, eminéntia meritórum et claritáte signórum excellénter ornásti: concéde propítius; ut ejus exémpla nos próvocent, et virtútes illústrent. Per Dóminum.

**Et fit commemoratio S. Gregorii Thaumaturgi Episcopi et Confessoris.:**

#### Oratio

Da, quæsumus, omnípotens Deus: ut beáti Gregórii Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat et salútem. Per Dóminum.

#### Secreta

Obláta, quæsumus, Dómine, múnera beátus Hugo Conféssor tuus et Póntifex prosequárur: ut, méritis ejus adjúti, grátiam et glóriam consequámur. Per Dóminum.

**Pro S. Gregorio**

#### Secreta

Sancti tui, quæsumus, Dómine, nos ubíque lætíficent: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

### Postcommunio

Nostræ servitútis obséquia, quæsumus, Dómine, beátus Hugo Conféssor tuus et Póntifex tibi reddat accépta: ne sacraménti cæléstis efféctum reátus noster a nobis exclúdat. Per Dóminum.

**Pro S. Gregorio**

**Postcommunio**

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Gregório Confessóre tuo atque Pontífice, benefícia potióra sumámus. Per Dóminum.

**Die 20 Novembris  
S. EDMUNDI REGIS, MARTYRIS  
III classis**

**Missa In virtúte tua, de Comm. unius Mart. non Pont., præter Orationes sequentes:**

**Oratio**

Deus ineffábilis misericórdiæ, qui beatíssimo regi Edmúndo tribuísti inimícum pro tuo nómine moriéndo víncere: concéde propítius huic familiæ tuæ; ut, eo interveniente, mereátur in se antíqui hostis incitaménta superándo exstínguere. Per Dóminum.

**Et fit commemoratio S. Felicis de Valois Confessoris.:**

**Oratio**

Deus, qui beátum Felícem Confessórem tuum ex erémo ad munus rediméndi captívos cælitus vocáre dignátus es: præsta, quæsumus; ut, per grátiam tuam ex peccatórum nostrórum captivitaté, ejus intercessióne, liberáti, ad cælestem pátriam perducámur. Per Dóminum.

**Secreta**

Hoc sacrificium redemptiónis nostræ, quæsumus, omnípotens Deus, cleménter réspice: et, intercedénte beáto Edmúndo Rege et Mártyre tuo, pro hac família tua placátus assume. Per Dóminum.

**Pro S. Felicis**

**Secreta**

Præsta nobis, quæsumus, omnípotens Deus: ut nostræ humiliáatis oblátio, et pro tuórum tibi grata sit honóre Sanctórum, et nos corpore páliter et mente puríficet. Per Dóminum.

**Postcommunio**

Sint tibi, omnípotens Deus, grata nostræ servitútis obséquia: ut hæc sancta quæ súmpsimus, intercedénte beáto Edmúndo Rege et Mártyre tuo, prosint nobis ad capessénda præmia vitæ perpétuæ. Per Dóminum.

**Pro S. Felicis**

**Postcommunio**

Quásumus, omnípotens Deus: ut, qui cælestia aliménta percépimus, intercedénte beáto Felíce Confessore tuo, per hæc contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum.

# INDEX

## A

- S. Ælphegi Ep. et Mart. **19 Aprilis.** III classis. pg 11  
S. Æthelberti Regis, Conf. **25 vel 26 Februarii.** III classis. pg 8  
S. Albani Mart. **22 Junii.** III classis. pg 29  
S. Augustini Ep. et Conf. **26 Maji.** II classis. pg 22

## C

- BB. Mart. Carthusianorum. **12 Maji** III classis. pg 16  
S. Cuthberti Maine Mart. **29 Novembris.** III classis. pg 3

## D

- S. David Ep. et Conf. **1 Martii.** III classis. pg 9  
In Dedicatione Eccl. Cathedralis. **28 Junii.** I classis. pg 31  
S. Dunstani Ep. et Conf. **19 Maji.** III classis. pg 21

## E

- S. Edmundi Ep. et Conf. **16 Novembris.** III classis. pg 43  
— In Translatione. **9 Junii.** III classis. pg 27  
S. Edmundi Regis, Mart. **20 Novembris.** III classis. pg 46  
S. Eduardi Regis, Conf. **13 Octobris.** II classis. pg 40  
S. Eleutherii Papæ et Mart. **30 Maji.** III classis. pg 26  
S. Erconwaldi Ep. et Conf. **13 Maji.** III classis. pg 18  
S. Etheldredæ Virg. **27 Junii.** III classis. pg 31

## G

- S. Georgii Mart. **23 Aprilis.** I classis. pg 12  
S. Germani Ep. et Conf. **11 Augusti.** III classis. pg 38  
S. Gregorii Papæ, Conf. et Doct. **12 Martii.** II classis. pg 9

## H

- S. Hugonis Ep. et Conf. **17 Novembris.** III classis. pg 45  
Bb. Hugonis Faringdon, Ricardi Whiting ac Joannis Beche Abbatum  
cum Sociis eorum MM. **1 Decembris.** III classis. pg 5

## J

- Bb. Joannis Beche Abbatum ac Ricardi Whiting, Hugonis Faringdon  
cum Sociis eorum MM. **1 Decembris.** III classis. pg 5  
Ss. Joannis Fisher Ep. et Thomæ More Mart. **9 Julii.** I classis. pg 31

**L**

S. Laurentii Ep. et Conf. <b>3 Februarii.</b> III classis.	pg 8
--	------

**M**

B. Margaritæ Pole Mart. non Virg. <b>28 Maji.</b> III classis.	pg 24
Beatorum Mart. Ang. et Camb. <b>4 Maji.</b> III classis.	pg 13
Bb. Martyrum Collegii Duacensis <b>28 Octobris.</b> III classis.	pg 41
S. Melliti Ep. et Conf. <b>24 Aprilis.</b> III classis.	pg 13

**O**

S. Osmundi Ep. et Conf. <b>4 Decembris.</b> III classis.	pg 6
S. Oswaldi Regis, Mart. <b>8 Augusti.</b> III classis.	pg 36

**R**

S. Ricardi Ep. et Conf. <b>3 Aprilis.</b> III classis.	pg 10
S. Ricardi Reynolds Mart. <b>14 Maji</b> III classis.	pg 19
Bb. Ricardi Whiting, Hugonis Faringdon ac Joannis Beche Abbatum cum Sociis eorum MM. <b>1 Decembris.</b> III classis.	pg 5

**S**

Sacrarum Reliquiarum. <b>5 Novembris.</b> III classis	pg 43
S. Stephani Abbatis. <b>17 Aprilis.</b> III classis.	pg 10

**T**

S. Theodori Ep. et Conf. <b>19 Septembris.</b> III classis.	pg 39
S. Thomæ Cantuariensis Ep. et M. <b>29 Decembris.</b> I classis	pg 7
S. Thomæ Hereford. Ep. et Conf. <b>22 Octobris.</b> III classis.	pg 40
Ss. Thomæ More et Joannis Fisher Ep. Mart. <b>9 Julii.</b> I classis.	pg 31